Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Qui igitur oblatus est pilato. quia ipse voluit. et non respondit. ut patibulum pro
nobis dampnatus absideret. ipse sicut ovis ad occisionem ductus est. et quasi
agnus coram tondente obmutuit. Etenim pascha nostrum immolatus est
christus. Quem iohannes baptista monstrabat dicens. Ecce agnus dei. ecce qui
tollit peccata mundi. Qui et in apocalipsi iohannis evangeliste. agnus oc-
cisus sepe demonstratur. qui de se ipso loquitur in ieremia. Ego autem
agnus sicut innocens et ductus ad victimam nesciebam. Cum enim nesciret pec-
catum. pro nobis peccatum factus est. Et sicut agnus cum ducitur ad victimam non
repugnat. sic ille passus est voluntate. ut destrueret eum qui
habebat mortis imperium humilians se usque ad mortem. mortem
autem crucis. Hic agnus est in cuius typo immolabatur agnus. cuius cruor illitus
in postibus exterminatorem fugabat egypti. qui non solum suo sanguine
nos redemit. sed et lanis operuit. ut algentes in infidelitate sua
veste calefaceret. et audirent apostolum nobis loquentem. quicumque in christo
baptizati estis. christum induistis. Et in alio loco. Induimini christum ihesum. Quod sequitur de angustia et iudicio sublatus est. sive
ut lxx transtulerunt. in humilitate iudicium eius sublatum est. Illud
significat. quod de tribulatione atque iudicio ad patrem victor ascen-
derit. sive quod iudex omnium iudicium non reperit veritatis. sed absque
ulla culpa seditione iudeorum et pilati voce dampnatus sit. ut
adimpleretur propheta. quod omnium deus se tradiderit passioni. De quo paulus
loquitur. Si enim cognovissent. numquam dominum glorie crucifixissent.
Sequitur. Generationem illius quis enarrabit. Quod dupliciter intelligitur.
Aut enim de divinitate eius accipiendum est. quod impossibile sit divi-
ne nativitatis nosse mysterium. de qua ipse loquitur in proverbiis. Ante omnes colles generavit me. iuxta illud quod alibi le-
gimus. Quis cognovit sensum domini. aut quis consiliarius eius fuit. Sub-
auditur nullus. Aut de partu virginis. quod difficulter possit
exponi. Denique cum marie diceret ab angelo concipies (paries) filium. il-
la respondit. Unde hoc mihi. quia virum non cognosco. Cui rursum
angelus. Spiritus sanctus superveniet in te. et virtus altissimi
obumbrabit tibi. ut vel ab angelo. vel ab evangelistis. tantum nati-
vitatis sacramenta dicantur. cuius narrator rarissimus est.
Aperiens autem philippus os suum et incipiens a scriptura ista
evangelizavit illi ihesum. Philippus interpretatur os lampadis.